



Exercitatio Philologico-Moralis In Historiam Lapsvs Genes. III, 1.-6.

[Jena]: Litteris Io. Frid. Ritteri, [1734?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn874319641>

Druck Freier  Zugang





~~4724~~
45.


49. el. 4.

Ja-1092 (45.)

1. Jeron. Friedr. Reinf de usu experientiae spiritualis in scriptura
rum interpretatione. Lipsi. 1705.
2. Seb. Schmidius de antiquissima fide mystica circa mysterium
S. S. Trinitatis. ad Gen. 1, 2. reimp. Mittel.
3. Christo. Longaeus de sanctiore consubiali Paradisiaca ad Gen.
11, 24. Acton. 1699.
4. Jo. Geor. zur Linden historia lapsus ad Gen. 11, 1-6. Jen 1734.
5. Jo. Edoard. Nemegerius de femine mulieris caput serpentis con-
tributo Helms. 1703. ad Gen. 11, v. 14, 15.
6. Abrah. Calovius de inimicitia inter serpentem et mulierem
ad Gen. 11, 15. Mittel 1662. reimp. ib. 1697.
7. Jo. Vloar. Preferendarius de Paradiso igne deleta ad Gen. 11, 24.
Acton. 1735.
8. Geor. Seb. Hambergerus de Inde diluuii ad Gen. 12, 10.
Jen 1696. reimp. ib. 1706.
9. Heel. Gottfr. Majus de opere Loti et statuam falis conuulsa
reimp. Hafs 1720.
10. Christo. Wallius de singulari facto ac fato uxoris Loti ad Gen. 19,
26. Lips 1730.
11. Gold. Friedr. Jenichen de lapide facchi uncto ad Gen. XXVIII,
10. Lips 1791.
12. Jo. Reisk. Rufus de 11 1/2 v. Mesia ad Gen. XLIX, 10. Jen 1719.
reimp. Mittel. 1794.
13. Jo. Trifschmuthus de circumfione Zippore ad Exod. 11, 24, 25
26. Jen 1663.
14. Pen de iudais inter duas vespereas snactando paschali agno
ad Exod. XII, 3. Jen 1660.
15. An. Friedr. Neubauerus de angelo mortis ad Exod. XII, 29. Rom. XVI, 14.
Habr. 11, 14. Job. III, 8. Apokalypf. LXII. Hal. 1792.

16. Conr. Ikenius de Marah ad Exod XXI, 22-25. Bremen 1792.
17. Geor. Christo. Hellwagius de Maana Christi tyjo. Jen 1795.
18. Franc. Wokanius de sermone elliptico in historia Israelis non
obvio Wittenb 1790.
19. Jo. Jac. Quandt exanad. inbrauerianum de sacerdotio Melchi,
Jedovans. regif. 1795.
20. Jo. Geor. Michaelis de incisura propter mortuos ad Lev. XIX, 20.
XXI, 5. Deubr. XIV, 1. Lipsi 1799.
21. Christian. Secouici de spiritu Moysi in XXI seniores posito
ad Num XI, 16. 25. Lipsi 1794.
22. Friedr. Guell. Breslingius de ritibus veterum Hebraeorum circa
inulam de colubam. Lipsi 1696. ad Lev. XXI, 17-19
23. Jo. Geor. Abichtius de respiciendis duobus versibus sup XXI in
quibusdam codicibus ^{rebrnari} omisfis Lipsi 1714.
24. Franc. Henr. Gebhardt de mapilla sinfonaca et corpore Adam
Lund. Gryphico. 1707.
25. Jo. Christo. Erlobius de Samuele Propheta et Jndice
non Pontifice aut Sacerdote sacrificante ad 1 Sam VIII, 9.
Lipsi 1714. a.
26. Jo. Gott. Carpponius de pluralitate personarum in una 209
esentia ad 2 Sam VIII, 24. Lipsi 1720. 4.
27. Jo. Christi. Ningelshius de Ammonitis a Davide absque crudeli-
tate sub jugum missis ad 2 Sam XII, 31. 1. ebrn XII, 9. Lipsi 1751.
28. Jo. Crausius de Suroth Benoth ad 2 Reg. XV, 11, 20. Jen 1664.
29. Sim. Bened. Sympie verba Davidis ultima ad 2 Sam XXIII, 1
-7. Lipsi. 1721. . .
30. Jo. Nicol. Quihorpius de novissimis Davidis verbis ad 2 Sam
XXIII, 21-7. Postach 1700. *Postach non M.H.*

53. Ab. zum Felde de uctu imaginum anti christians ad Hab. 11. 10. 19.
Kilon.
54. Christi. Friedr. Milichius de precibus angelorum pro nobis ad Zach. 4.
12. Lips. 1729.
55. Sam. Leemannus de psychopograpia Mesiae ad Zach. 11. 12. 13. Ann.
1702.
56. Prand de triplici coronâ Mesiae et Triplici Bern 1703.



EXERCITATIO PHILOLOGICO-MORALIS
IN
HISTORIAM LAPSVS
GENES. III, I.-6.

DEO AVSPICANTE
ET
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN-
GARIAE ET GVESTPHALIAE COMITE SAYNAE
ET WITTGENSTEINII RELIQUA

IN ACADEMIA SALANA

EX DECRETO AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

PRO LOCO

IN EODEM RITE OBTINENDO

AD PVBLICVM EXAMEN PROPONIT

IOANNES GEORGIVS ZVR LINDEN

AMPLISS. FACVLT. PHILOS. ADIVNCTVS DESIGNATVS.


DEFENDET

CASP. IAC. HVTH

MOENO-FRANCOFVRTENSIS.

IENAE AD D. XX. NOV. A. O. R. MDCCXXXIII.

LITTERIS IO. FRID. RITTERI.





L. N. I.



Difficilis est, & ardua quæ-
stio: qui fieri potuerit, ut primò
homines, quorum mala & misera
nunc nascimur progenies, a tanta
perfecta bonitate naturæ morali de-
fecerint, quantam, cum creabantur,
inditam & penitus infixam accepe-
runt a deo opt. max. Quod exi-

stere potuerit, talis funesta quædam corruptio,
in creaturis excellentibus quidem, sed limitatis ta-
men, id certo intelligit sana ratio. Eam autem
reuera existisse, vel inuita fateri cogitur, quam
diu ipsa experientia clamat naturale quoddam
animæ humanæ contagium. Id autem malum,
vtrum in primis humani generis conditoribus,
primum existiterit; an in eorundem proxime se-
quentibus posteris; deinde, quomodo ortum sit,
solone hominum infelici quodam consilio & co-
nату; an alio quodam ente, malitiæ auctore &
principe, id omne ignoramus sine monumentis
historicis fide dignis. Proditæ hæc sunt, a Mose
diuino scriptore; Continetur autem historia

A 2

Gen.

Gen. III, ab initio vsque ad v. 6. inclus. In hanc historiam dum molimur exercitationem philosophicam, hoc nunc habemus propositum, vt *in modo, quo factum relatam accidit, inuestigando vires nostras periclitemur.* Hoc autem ne quis curiosius, quam par est, & audacius fieri a nobis existimet, cogitandum est, primo quidem, nihil esse dignius homine vere philosopho, quam vt inquirat, quantum pote, magis in communia antiquissima, & felicia & calamitosa generis humani fata, quam in vetustissima græcæ & romanæ antiquitatis monumenta; Deinde hanc operam in præsentis argumento, deberi etiam merito ipsis venerandis diuinitus consignatis literis. Cum enim voluisset deus patefieri mortalibus, primos statim homines, descuiisse, a diuina quam ingenitam habuerunt, gloriosa virtute, idque sollicitante & pelliciente diabolo, modum quemdam, quo id fieri potuit, & vere factum est, adfuisse necesse est. Quod si autem placuisset sapientissimo numini, nihil de isto facto prodi, & relinqui posterorum memoriae, quam lapsos esse primos parentes, fraude satanæ, iniquum foret, temere quemdam rei modum definire velle; æquum autem & pium, silentium scripturæ venerari decente & religioso silentio; quamuis fortasse haud irreligiosum & profanum fuerit, facere quasdam de modo possibili coniecturas, dummodo disquisitio coniecturarum limitibus curate contineatur. Consultius vero deo prouidentissimo visum est, longe plura, quamuis non copiosa adeo historia enarrata, con-

consignari de prima defectione hominum, orta auctore quodam, qui vocatur serpens, qui hæc & illa cum Heua collocutus sit, hæc responsa tulerit, tandem vsum arboris, qua interdictum erat, fæminæ persuaserit, quæ ad idem facinus deinde pellexerit Adamum. Quod si ita sit, certe in diuina historia, deo hoc fuit propositum, vt attenda & pia meditatione colligeremus quamdam primæ fallaciæ luçtuosissimæ methodum; vt intelligeretur, nullam in illa optimi creatoris esse partem, qui est ἀπειράτος κακῶν, καὶ περιελάζει ἔδνα; vt manifestarentur cæcis mortalibus, pessimi & fraudulentissimi spiritus, primi, ad deturbandos homines a felicitatis fastigio, cuniculi, & primi ad corrumpendos animos aditus, per quos tanta ipsi ampla & trita via patefacta est, quæ coarctari & obstrui non potest, nisi potentissimi diuini spiritus interuentu, & supernaturali operatione. Hinc in doctissima dissertatione, *de serpente seductore non naturali, sed solo diabolo*, habita quondam sub præsidio IO. REINH. RVSI, nunc magnifici nostri tertium prorektoris, ita pronuntiatur sect III. post initia: *Nullam dicit Beckerus a nobis concipi posse rationem, qua seduxerit satan protoplastos, vnde eam, quam textus supeditat, quouis modo detorqueat & remouere conatur. Nos ex aduerso admittimus sufficientem, & haud ineptam, dicentes, sub serpentis larua, satanam non modo potuisse, sed etiam reuera absoluisse suum propositum. In hunc igitur modum, quo construxit & perfecit diabolus machinationes suas, in decipiendis primis hominibus, quantum fieri a nobis potest, diligenter*

inquiremus, tractatione non prolixa & copiosa. Tenebimus autem hanc in nostra disquisitione rationem: *Primo* præmitteremus theses nonnullas generales, de historia & eius interpretatione, quarum usus erit in hac opella; *deinde* singula commata historiae lapsus, quibusdam scholiis illustrabimus; *denique* ex eis, quæ præmissa fuerint, colligemus nonnulla *Φιλοσοφήματα*, & formabimus quemdam probabilem seductionis modum. Ad quod negotium imploramus spiritum veritatis, *ne fallamur in verbis diuinis, nec fallamus ex eis.*

§. 1.

Experientia est cognitio rei immediate per sensus.
 §. 2. *Historia* est relatio alicuius experientia. Experientia illa, quæ refertur, aut est *nostra*; aut *aliena*.

§. 3. Experientia *aliena*, aut est talis, vt eandem, aut in casu simili, aut per quamdam experimentationem, possumus eodem modo acquirere; aut illa non est talis.

§. 4. Si experientia *aliena* non sit talis, vt eam, aut in casu simili, aut per experimentationem, possumus eodem modo acquirere, de experientia illa tantum possumus reddi certi per *fidem*, quæ habetur alterius relationi, quam relationem ipsi debemus experiri.

§. 5. De experientia *aliena*, cuius certitudo naturaliter sola alterius relatione nititur §. præc. non possumus nobis conceptum formare, sine ope *imaginationis*, quæ efficit, vt ex quadam idearum partialium propria experientia, per illarum consociationem, ad quam nos ducit historia, construamus ideas totales, quas non sumus experti, nec possumus quocumque experiri.

§. 6. Qui

§. 6. Qui historiam interpretatur, ille proponit sensum relatæ cuiusdam experientiæ. §. 2.

§. 7. In omni historia interpretanda respiciendum est, 1) ad illum qui eam retulit, seu *testem*, 2) ad ipsius relationem & eius modum, seu *testimonii rationem*; 3) ad ipsam, quæ referatur, experientiam.

§. 8. In *teste* requiritur, ut sit fide dignus, quod adparet ex eo, si *potuerit*, & si *voluerit*, vere testari, id quod ipse per se, aut ab aliis expertus est.

§. 9. Historicus, ut talis, nihil referre debet, quam ipsam experientiam §. 2. siue propriam, siue alienam. Hinc cum terminis non iungere debet alias ideas, quam ipsa rerum præsentium experientia animo experientis oblatas.

§. 10. Experientia nobis non obfert ideas rerum mediantibus aliis ideis formatas, sed ideas immediatas & proximas in nobis excitat.

§. 11. Ideæ, quæ nascuntur mediantibus aliis ideis, aut per quamdam cognationem, aut similitudinem, sunt ideæ *improprie*; Ideæ quæ immediate cum rebus ipsis a nobis coniunguntur, sunt *proprie*. Termini, qui prioribus respondent, *improprii*, qui posterioribus *proprii* vocantur.

§. 12. Si experientia refertur qua talis, eius relatio non oratione impropria & figurata, sed quam maxime propria consipitur §. 10. & præc.

§. 13. In interpretatione historię, qua talis, cum terminis illæ ideæ coniungendæ sunt, quas ipsa rerum præsentium experientia, in animo experientis potuit excitare §. 9. nec est a significato terminorum proprio, sine urgente necessitate, recedendum.

§. 14. *Iudicia* per solam experientiam formata, vocantur *intuitiva*; quæ ex experientia inferuntur, *collectiva*.

§. 15. Quicumque experientiæ plus tribuit quam licet, & id se putat experiri, quod ex experientia colligit, adeoque iudicium intuitivum, confundit cum collectivo, §. præc. ille committit *vitium subreptionis*.

§. 16. Omnis

§. 16. Omnis relatio experientiae continet aliquod factum.

§. 17. Omne factum singulare propterea est tale, quia rationem sui habet in quibusdam causarum ad id concurrentium determinationibus individuificis, & quia accidit sub circumstantiis individuificis.

§. 18. *Modus facti* est ratio, qua id factum accidit. Haec concipienda est, ex causarum ad id concurrentium determinationibus individuificis §. praec.

§. 19. Si interpreti exponenda sit ipsa, quae refertur, experientia, consideranda & explicanda sunt illa omnia, quae efficiunt, ut id factum, de quo agitur, sit singulare §. 16. 17.

§. 20. Quando interpres exponit aliquod factum singulare, necessario requiritur, ut consideret, non solum utrum id sit *possibile in se*, sed etiam, *in eis, quae referuntur, determinationibus & circumstantiis individuificis* §. 17.

§. 21. Interpreti est circumspiciendum, quantum fieri potest, an in illis, quae referuntur, facti determinationibus singularibus, lateat ratio, ex qua illud potest sufficienter concipi. E. interpreti est inuestigandus *modus*. §. 18.

§. 22. Si historicus modum facti retulit, ille situs esse debet, in determinationibus individuificis causarum ad id concurrentium §. 18.

§. 23. *Modus erui* non potest, sine consideratione determinationum facti singularium, primo seorsim, deinde in sua coniunctione & ad se inuicem relatione. §. praec.

§. 24. Determinationes individuantes, quae a dipsum factum constituendum concurrunt, si vere & dextre relatae sint, debent inter se consentire.

§. 25. Interpreti in exponendo modo, quo factum accidit §. 21. demonstrandus est consensus determinationum ad factum constituendum concurrentium. §. praec.

§. 26. Fieri potest, ut non omnes determinationes ad factum constituendum concurrentes, relatae sint, sed potiores.

§. 27. Tunc

§. 27. Tunc interpreti, ex collatione illarum determinationum, quæ relatæ sunt, colligendum est, quænam aliæ determinationes aut *necessario adfuerint*, aut *probabiliter adesse potuerint*.

§. 28. Ex his coniunctim sumtis, formandus est interpreti modus, quo factum accidit, maxime probabilis.

§. 29. Iste modus merito habetur pro maxime probabili, in quo omnes determinationes relatæ, optime inter se consentiunt & conspirant.

§. 30. Talis modus probabilis, tam diu est habendus pro verisimillimo, donec detur probabilior.

SEQUENTVR NVNC SCHOLIA IN IPSAM HISTORIAM SACRAM.

§. 31. Ad v. 1.

וְהָנַחַשׁ הָיָה עִוֹם וְנֹא. Notabimus hic sequentia momenta.

- 1) De serpente mere naturali prædicari non posse, id tota sacra oratio loquitur. Agitur enim de serpente tanta ratione prædico, quanta non solum omnibus bestiis agri antecelluerit, sed etiam homines ipsos, insigni diuino lumine illustratos, in errorem potuerit inducere.
- 2) Neesse est, auctorem seductionis fuisse ens ratione simul & prauitate morali præditum. Tale inter bruta numerari non potest. Homines, præter Adamum & Heuam, nulli erant creati. Præter hos scriptura de nullis creaturis rationalibus, & morali natura instructis loquitur, quam de spiritibus meris, quos vocat angelos. Angelum bonum negotio non adfinem fuisse, facile patet. E. fuit angelus malus.
- 3) Angeli mali in sacris vocantur *diaboli*. Diabolo aperte tribuitur seductio hominum Io. 8, 44. Apoc. 12, 9. conf. 2. Cor. 11, 3. 14. consentiente vetere ecclesia Sap. 2, 23. 24.

B

4) E.

- 4) E. angeli quidam iam tunc erant lapsi, ex quorum numero fuit ὁ πειρασῆς.
- 5) Fortasse angelus malus, qui hoc negotium, ex pessimo conscleratorum voto, perficere potuit, est ille ἀρχὼν τῶν δαιμονίων, qui vocatur βασιλεὺς βασιλ. Luc. 11, 15. quod tetrum & ferale nomen haud incommode ex כַּעַל dominus, & דְּבַר *domicilium*, compositum censerī posset, vt adeo idem sonet, quod οἰκοδοσπότης. Vide omnino Matth. 10, 25. & Ep. Iudæ v. 6.
- 6) Quod tamen hic seductor diabolus, serpentis monstratur vocabulo, eius rei debet adesse quædam ratio.
- 7) Ex legibus interpretationis historię §. 13. vox שָׁחַד ita est interpretanda, vt indicet obiectum quod Heuæ experta est, & sensibus vsurpauit. Ex inferius dicendis patebit quoque, fatanam per sensus externos Heuæ, ad eius animum penetrasse, & sub forma serpentis, negotium nefarium perficere potuisse.
- 8) E. ratio proxima, cur seductor vocetur *serpens*, est illa, quod Heuæ eum experta est vt serpentem. Nam quod aliud ens simul adfuerit, illud non est iudicium intuitiuum, sed collectiuum §. 14. Illustrari hæc possunt per locum 1. Sam. 28, 15.
- 9) Perinde nobis hic est, siue diabolus serpentem naturalem intraserit, & illo instrumento vsus sit, siue sub larua serpentis rem egerit, dummodo maneat hoc, Heuam in errorem inductam esse, per ens, quod experiebatur vt speciem serpentis.
- 10) Non est hic negligenda emphasis articuli הַ conf. v. 4. 13. 14. quo indigitatur, istum, qui hic repræsentatur serpentem, ita egisse, vt non solum a ceteris bestiis agri, sed etiam a reliquis serpentibus posset distingui.
- 11) Verisimile est, diabolum præstantissima quadam serpentis specie, quæ forma, colore & corporis fulgente nitore commendabatur, esse vsuum.

12) Ad-

- 12) Adpellationes satanæ, *draco magnus, & serpens antiquus*, Apoc. 12, 9. quales imagines etiam obiectæ fuerunt Ioanni in coelesti visione, non tantum ex sola quadam metaphora, sed imprimis ex hoc seductionis negotio, sunt deriuandæ.
- 13) Particula *Vau*, quæ initium huius cap. tertii, connectit cum fine præcedentis, hic commode redditur *sed, autem*, vt significetur, enarrandum nunc esse, quomodo primi homines, memorata illa in præcedentibus felicitate, exciderint.

§. 32. Ad v. 1.

כִּי הֵנָּה Hæ particulæ, ex vsu scripturæ frequentî, adhibentur in argumentatione a *minori ad maius*, aut *maiori ad minus*, & generatim non tam in ingressu, quam in progressu sermonis & in connexione, e. g. Deut. 31, 27. Iob. 15, 16. Prov. 15, 11. 17, 7. 19, 10. Vide NOLDII *Concordantias* Particul. Ebr. Chald. a Celeberr. 10. GOTTFR. TYMPPIO, nostro, Buxtorfiano studio, politas & locupletatas. Doctissimi viri inde argumentum probabile capiunt, iam antecessisse quoddam satanæ cum Heua colloquium, quia non est probabile, hostem vaserrimum, statim sub colloquii initio, tam prope ad ipsam, quam spectabat causam, accessisse. Idem quoque per id confirmari censei potest, quod dicitur in antecedentibus, serpentem illum ita fuisse callidum, vt in nulla bestia agri, tale quid animaduerneretur, quod Heua non solum ex variis huius serpentis actionibus, sed imprimis ex sermonibus quibusdam antecedentibus potuit colligere. Sunt tamen celeberrimi quoque viri, qui כִּי הֵנָּה hic reddere malunt, *ita est quod*, aut *etiamne*; sed neque per hanc interpretationem, tollitur illa, quæ memorata est coniectura.

לֹא תֹאכְלוּ מִכָּל עֵץ הַגָּן non comedetis ab omni arbore horti, in vernacula nostra versione: *Ihr sollt nicht essen von allerlei Bäumen im Garten*, pro: *ibr sollt von keinem Baum im Garten essen*; ut adeo simularit veterator, existimare se, hominibus, omnibus omnino arboribus esse interdictum, quam fictam suspensionem proxime ex quodam Heuæ sermone,

de divina lege, habito, haurire potuit. Quod Heua sermonem serpentis ita intellexerit, id patet ex eius responsione v. 2. & 3.

§. 33. Ad v. 3.

הָעֵץ בְּחֶרֶב הָיָה, arbor, quæ est in medio horti, est illa, quæ v. 17. cap. præc. adpellatur arbor cognitionis boni & mali. Non iam animus est excutere, vtrum arbor illa hanc adpellationem acceperit ex eo, quod per eam explorari debebat, primorum hominum, aut constantia in bono, aut defectio ad malum; an quod illi, per usum eius interdictum, letali experientia, discrimen inter bonum & felicitatem, & inter malum ac summam miseriam didicerunt; aut denique, quia hæc arbor, scientiæ boni & mali, b. e. prudentiæ exercenda erat causa moralis, & obiectum, quam dictionis rationem reliquis præfert doctiss. VITRINGA *Obs. sacr. lib. IV. c. XII.* Sequentia hic nunc potius animaduertemus.

- 1) Lex, de arbore illa non vsurpanda, erat arbitraria.
- 2) Deus per hanc legem datam, exercuit summum suum dominium in creaturas.
- 3) Tantum abest, vt ex ea lege, causa quædam lapsus hominum deo adsignari possit, vt potius hac dependentiæ graui admonitione, lapsum prohibere voluerit; quod argumentum, eximie & luculenter, vt solet, persecutus est, Venerabilis Theologus IO. GVST. REINBECK, in *den Betrachtungen über die Augspurg. Confess. Med. XXIII. §. XX. XXI.*
- 4) Arbor illa fuit in medio paradisi posita, vt eo melius a reliquis distingui, & facilius error posset euitari.
- 5) Quo facilius fuit abstinentia ab una hac arbore, cum ceteræ essent indulgentissime a deo concessæ, eo grauius inest peccatum, in huius legis ac diuinæ maiestatis & benignitatis violatione.

וְלֹא תִגְעוּ בָּהּ, nec attingetis ipsam. Non videtur Heua hic mentita esse, sed aut ex disertis dei verbis, aut certe ex mente dei locuta. Actus enim consequens interdictus, inuoluit actum antecedentem, qui poterat propiore quamdã ad conse-

consequentem dare occasionem & quoddam incitamentum; ut adeo hæc verba eo referenda sint, deum hominis adpetitum ita ab hac arbore remotum esse voluisse, ut curiosiores eius repræsentationes sensuales, & inter has etiam contactum, unde quodammodo nasci poterat funesta cupiditas, excluderet.

§. 34. Ad v. 4.

וַיֹּאמֶר הַנָּחָשׁ וְדִיֶּקֶט *dixit serpens ille ad mulierem: non moriendo moriemini.* Cum simulasset satanas, se nunc demum ex Heua recte intelligere, quinam sit sensus diuini interdicti, hoc nunc egit, ut comminationis grauisimæ repræsentationem, non minueret solum, sed plane remoueret, & repræsentationem boni ingentis consequendi, in eius locum substitueret.

§. 35. Ad v. 5.

כִּי יוֹדַע אֱלֹהִים Non ut formulam iurandi hanc locutionem exponimus, quia non conueniebat tantæ satanæ astutiæ, deum, quem mendacii insimulauerat, & mox inuidiæ erat adcafaturus, testem veritatis, & ultorem mendacii inuocare. Oportebat enim, quam maxime hunc mendacem esse memorem. Hinc simpliciter exponimus *deus nouit*, ut pertineant hæc ad ea, quæ adfert corruptor tamquam rationem, ex qua fiat, ut deus illis arbore interdixerit, cuius usus cum nullo vitæ periculo esset coniunctus, sed potius cum immenso felicitatis gradu.

וְנִפְקְחוּ עֵינֵיכֶם *aperientur oculi vestri.* Dicuntur *oculi aperiri*, illi qui agnoscit ea, quæ ante non agnouit, imprimis respectu eorum, quæ ad proprium statum pertinent, conf. 2 Reg. 6, 17. 20. Act. 28, 18. Conatur igitur pater mendacii perluadere Heuæ, nondum intelligere eam perfectionem sui status possibilem, & ea, quæ ad illam pertineant, ad quæ quærenda tamen essent homines, in quacunque demum sorte, obligati. Si hæc verba: *deus nouit, quod, quo die comederitis de illa arbore, aperti fuerint oculi vestri*, seorsim considerentur, ambiguitatem sensus continent; vera enim erant respectu futuræ agnitionis summæ miserix, ad quod etiam alluditur v. 7.

B 3

falsa

oculos comparata. Non iam discutiemus, an exponi forte possit, quod esset desiderabilis ad oculos, scilicet aperiendos, ut igitur primum membrum, quod esset bona ad cibum, respondeat illi in versu præc. non moriendo moriemini; secundum, quod esset desiderabilis ad oculos, illi, & aperientur oculi vestri; tertium, quod esset desiderabilis ad consequendum intellectum, isti, & eritis sicut deus, cognoscentes bonum & malum.

c) וְנִחְמַרְהוּ עֵץ לְהִשְׂכִּיר & quod desiderabilis esset arbor ad consequendum intellectum, addi potest, ad feliciter agendum, quas ideas coniunctas & vsus verbi admittit, vid. Ios. 1, 8. Es. 52, 13. Dan. 1, 4. & finis Heuæ postulat, qui hic erat, ut per maiorem cognitionis perfectionem, maiorem felicitatis gradum consequeretur.

Addimus nunc has observationes:

- 1) Si Heua vidit, arborem esse ad comedendum suavem & salubrem, atque ad consequendam maiorem cognitionem & felicitatem idoneam, debuit adesse aliquid, ex quo sibi viva est id videre.
- 2) Nihil aderat, quod hic in censum venire possit, præter arborem, & serpentem, qui cum Heua colloquebatur.
- 3) Solus ad spectus arboris, non potuit illi tam certo persuadere eius salubritatem, & vim intellectum perficiendi.
- 4) Nec sola serpentis adseueratio quædam, ad fidem Heuæ faciendam, videtur fuisse sufficiens, nisi serpens argumenta nonnulla speciosa, & ad fallendum apta, attulerit.
- 5) Ex tota historia vix potest conici aliud, quam serpentem illa argumenta a se ipso, & a suo exemplo desumpsisse, adeo ut Heua in serpente, qui solus in hoc negotio, præter arborem, obiectum repræsentationum fæminæ fuit, viderit aliquid, ex quo concepit persuasionem, de arboris salubritate, & ingenti virtute.
- 6) E. verisimile est, serpentem simulasse, se vsu arboris, qua hominibus interdictum erat, ad tantam humanæ naturæ

turæ similitudinem & conformitatem euectum esse, vnde posset colligi, quam prope, ipsa iam ita excellens humana natura, posset ad dei similitudinem accedere, si protoplasti serpentis exemplum vellent imitari. Hinc non omnino repudiandam censemus R. ABARBANELIS sententiam, scilicet *serpentem crebriori in arborem scientiæ adscensu, & descensu, fructuum item de hac arbore esu innoxio, ad diuini interdicti transgressionem Heuam allexisse, vt ex hac ipsa actione, intra animum ratiocinata fuerit, se minime morte morituram, sed deo prorsus similem futuram*, quomodo recenfetur in allegata magnifici nostri prorektoris dissertatione; quamuis hoc notandum merito sit in ABARBANELE, quod censuerit, *serpentem nullo sermone ad decipiendam Heuam fuisse usum*. Igitur hæc coniungamus, serpentem illum hoc egisse, vt verba sua factò comprobaret, quod ipsi negotio, & diaboli astutiæ, quam maxime videtur conuenire.

- 7) Heua igitur conclusit, ex eis, quæ videbat & audiebat, *primo* quidem serpentem, per esum fructus hominibus interdicti, ad tantum perfectionis gradum euasisse, & *deinde*, homines, per imitationem serpentis, ad multo maius perfectionis fastigium posse emergere.
- 8) Heua nihil aliud experta est, quam serpentem, hæc loqui, & hæc facere, ex quo formauit *iudicium intuitiuum*; Sed cum ex hac experientia, & ex hoc iudicio intuitiuo, *videre* sibi visa est, arboris salubritatem & ingentem virtutem, non solum respectu serpentis, sed etiam respectu hominum, in eo plus, quam licebat, tribuit experientiæ, & *iudicium collectiuum* tam certum habuit, vt *intuitiuum* §. 14. E. *Heua commisit vitium subreptionis* §. 15.

וְאִתָּהּ וְאִתָּהּ וְאִתָּהּ & illa comedit. Non bene certe subducunt rationes, qui lapsum protoplastorum, solo fructus cuiusdam, seu pomi esu æstimant, cum cogitandum sit, fructum istum a deo fuisse interdictum, & quæ omnia, ante hunc actum externum, in animo primorum hominum, antecedere debuerint,

rint, atque quanti hoc facinus censendum sit, maiorem fidem habere, animanti, multo infra homines ipsos posito, quam ipsi deo, benignissimo creatori, eiusque summum imperium, per adfectatam independentiam velle eludere.

ⲁⲓⲛⲁⲓ ⲛⲟⲩⲟⲩⲟⲩ ⲛⲟⲩⲟⲩⲟⲩ ⲛⲟⲩⲟⲩⲟⲩ, *Et dedit ipsa etiam viro suo, sibi adiuncto, Et ille comedit.* Plane non est verisimile, aut quodammodo probabile tantum, virum presentem adfuisse colloquio. Hinc illud ⲛⲟⲩⲟⲩⲟⲩ *cum ipsa*, vertimus, *qui non nubio illi iunctus erat* conf. v. 12. Facile autem patet, necessario adfuisse hic quasdam determinationes singulares, quæ in historia sacra omisæ sunt. Hæ autem positæ sunt in modo, quo Heua effecit, ut Adamus, e felicitatis fastigio præcepti daretur, in eadem miseræ & calamitatis profunda. Modus autem persuadendi, sine dubio ad methodum ipsius satanæ, argumento ab exemplo proprio desumpto, adhibitis variis illecebris & blandimentis, fuit compositus.

Post hæc omnia scholia, liceat nobis hoc vatum subiicere, sacram scripturam, quo fuit, ex diuina sapientia, in commemorando lapsu humani generis per facinus Adami, misero & deplorando, parcius & recisior, eo fuisse liberaliorem & copiosiore, in referenda latissima eiusdem restitutione, facta per Iesum Christum, Adami antitypum.

§. 37. Nunc tandem ex eis, quæ dicta sunt, colligemus quasdam propositiones, alias certas, alias probabiles & verisimiles, & ex his representabimus, satanæ in fallendis primis hominibus *μεθοδίας*. Est autem certis gradibus, in arcem causæ euadendum.

§. 38. Homines, quorum essentia naturam moralem inuoluit, a deo optimo maximo creatore, creati non poterunt, nisi cum perfectione intellectus & voluntatis, seu cum bonitate morali naturæ. Cum in hac bonitate morali, infirmitatissima naturæ humanæ, cum diuina conformitas, ista in sacris literis præcipue vocatur *imago dei*.

C

§. 39. Hoc

§. 39. Homines ad prauitatem moralem defecerunt. Actum, per quem hoc factum est, *lapsus* vocamus.

§. 40. Homines lapsi sunt, non proprio instinctu, sed instigante satana. Hic vocatur *seductor*.

§. 41. Seductor satanas, sub specie serpentis peregit seductionem, seu Heua seductorem est experta vt speciem serpentis §. 31. n. 7-9.

§. 42. Seductor primo adgressus est Heuam, & per hanc Adamum.

§. 43. Causa huius consilii probabilis est, quod Heua non videtur immediate a deo interdictum accepisse, sed ab Adamo, ideoque facilius sperandus erat ad illam aditus.

§. 44. Seductor persuasit hominibus, vt præceptum dei negligenter, & fructu interdicto vescerentur §. 36. E. effecit, vt illi violationem legis *eligerent*, præ eius obseruatione.

§. 45. Hoc facere non potuit, sine excitata repræsentatione boni, ex illa violatione obtinendi; ex quo sequitur, vt persuadere hominibus debuerit, & illam ipsam violationem esse aliquod bonum.

§. 46. Sed illa violatio legis diuinæ, erat certe moraliter pessima; & protoplasti id agnouerunt.

§. 47. E. seductor persuadere hominibus debuit, rem moraliter pessimam §. præced. esse tamen aliquod ingens bonum §. 45.

§. 48. Non esse actionem contra legem, si de arbore interdicta comederent, persuadere illis non potuit, quia lex erat nimis clara, & disertissimis verbis concepta, adiuncta etiam grauisissima comminatione. §. 32

§. 49. Hinc hoc egit, vt confectarium malum, quod a deo coniunctum erat cum violatione legis, nempe mortem, remoueret ab actione contra interdictum dei directa v. 4. *Non morte moriemini.*

§. 50. Sed non erat hoc fatis. Ingens potius bonum confectarium, cum illa actione contra legem, erat coniungendum

dum ib. *quo die comederitis, oculi vestri aperientur &c.* vide §. 34. & 35.

§. 51. Confectarium illud bonum, a diabolo cum actione contra legem suscepta, per mendacium coniunctum, fuit tanta perfectio naturæ, quæ ad naturam dei, ratione cognitionis boni & mali, insigniter accederet ib.

§. 52. Id quod nos prohibet, a fructu maioris boni, quantumvis in se etiam bonum sit, est tamen *respectiue malum*.

§. 53. Non-violatio legis diuinæ, ex sententia diaboli, arcebat homines a consequenda ingenti perfectione §. 51. E. non-violatio huius legis, quantumvis in se bona videri posset, tamen, *hoc respectu*, esset habenda pro *aliquo malo*, eoque maiori, quanto maioris boni perceptio per eam impediretur.

§. 54. Diabolus, cum actionem contra legem suscipiendam, & quæ adeo videri posset moraliter mala, negare non posset §. 48. hoc tamen conatus est persuadere hominibus, nullum malum consectarium cum ea esse coniunctum §. 49. sed contra ea immensum consectarium bonum §. 50. 51. hinc potius non-violationem legis, & omissionem actionis moraliter malæ visæ, esse habendam pro insigni malo, quia hoc pacto ingentis boni fructu excluderentur, §. 52. & præc.

§. 55. E. persuadere hominibus voluit, violationem legis dei esse ingens bonum §. præc.

§. 56. Insignis perfectio naturæ consequenda §. 51. debebat esse *finis* hominum in agendo, qui in se ceteroqui consideratus, ita est *bonus*, vt homines ad illum consequendum, quam maxime obligentur §. 35. Violatio legis diuinæ proponebatur, vt *remedium bonum*, ad hunc finem consequendum §. præc.

§. 57. Seducitor igitur persuasit hominibus, non solum *finem* propositum esse optimum, sed & *remedium* ad illum consequendum, *non malum*, sed potius *bonum*. §. præc.

§. 58. Sed, si non obstaret metus alicuius mali §. 49. incitaret autem & stimulare spes ingentis boni consequendi §. 50. idque remedio satis bono viso §. præc. nihilominus obsta-

re potuisset consideratio benignissimi numinis, quod, etiam si actionem contra interdictum susceptam, morte punire non posset, non esset tamen ob beneficia collata, offendendum; quomodo amici voluntatem, etiam cum quodam nostro detrimento, non solemus offendere, quamvis etiam nocere non possit.

§. 59. Hinc deus diabolo, ex pessima astutia, erat proponendus, ut talis, qui tantam perfectionem, tantamque per eam acquirendam felicitatem, invideret hominibus, & nollet, ut, quomodo ipse, sine lege quadam externa, atque ex dictamine felicis naturæ, & suo arbitrato viverent §. 35. ad *novit deus, & eritis sicut deus.*

§. 60. Hoc igitur pacto conabatur efficere, ut facilius in violationem legis, ab invidio numine positæ, consentirent.

§. 61. Diabolus impulit homines, ad quærendum statum perfectiorem, eumque acquirendum, per quamdam, in neglectu diuinæ legis, sibi sumentam independentiam; §. 35. 50. sqq. E. efficere debuit, ut homines illum statum, per violationem legis dei consequendum, existimarent meliorem isto, quem per observantiam interdicti tueri potuissent.

§. 62. Hinc fieri debebat, ut magis euperent futurum statum consequi, quam præsentem conservare.

§. 63. Ex hoc naturaliter quoddam tædium status præsentis erat oriundum, quod augeri poterat, & speciosa repræsentatione futuri status excellentioris, qui per præsentem impediretur §. 53. & repræsentatione diuinæ invidiæ §. 59.

§. 64. Diabolus hoc tandem consecutus est, ut Heuam fructus interdicti rapina, legem dei transgrederetur. Hic actus inuoluit transgrediendi voluntatem §. 44. hæc repræsentationem maioris boni §. 50. & 36. & *vidit mulier &c.* Adamus deinde, eodem modo, per Heuam ad idem facinus est impulsus. *ibid.*

§. 65. Si protoplasti violationem legis diuinæ, sibi distincte tamquam maximum malum, & eius obseruationem tamquam
ingens

ingens bonum constanter representassent, non illam præ hac elegerunt. §. 44.

§. 66. Cum tamen id actu fecerint §. 64. patet, eos bonum & malum sibi non distincte representasse, sed id pro bono habuisse, quod vere erat malum, & id pro malo, quod vere erat bonum.

§. 67. E. bonum & malum sibi peruerse & confusissime representarunt.

§. 68. Ratio igitur lapsus hominum primo petenda est ex peruersis & confusissimis boni & mali representationibus. §. præc.

§. 69. Cum hæ arte satanæ in illis excitatæ sint, videndum nunc, quantum licet, de modo possibilitatis.

§. 70. Heua post creationem sui, sine dubio hoc egit, ut creaturas dei, tantum creatorem sapientissimum & benignissimum venerabunda, contempleretur. Hæc occupatio fuit optima.

§. 71. Obiecit se diabolus eius conspectui, sub specie insignis cuiusdam serpentis. §. 31. n. 11. Hoc Heua impedire non potuit, nec ipse ad spectus serpentis habet prauitatem moralem.

§. 72. Heua hunc serpentem distinxit, non solum ab aliis bestiis terræ, sed etiam ab aliis serpentibus, ob summam eius calliditatem. Hoc postulauit ipsa obiecti ratio. §. 31. n. 10.

§. 73. Non est probabile, serpentem illum laruatum, calliditatem suam, nocendo aliis creaturis comprobasse, sed per tales actiones indifferentes, ex quibus ingenium vafum & versutum æstimari poterat.

§. 74. Heua attente considerauit serpentis actiones, idque forte cum quadam delectatione. In qua re non inest prauitas.

§. 75. Si Heua tantam calliditatem obseruauit in vnico hoc serpente, quantam nec in bestiis reliquis generatim, nec speciatim in aliis serpentibus, naturaliter ortæ sunt cogitationes: vnde imprimis in hoc serpente, tanta præ aliis creaturis brutis præstantia?

e 3

§. 76. Cum

§. 76. Cur: in hoc insit quædam *admiratio*, & quæ illi adiuncta solet esse, *curiositas*, Heua hunc serpentem & eius calliditatem est admirata.

§. 77. Quamuis Heua insigni cognitionis perfectione esset prædita, tamen omnes rerum causas & rationes non nouerat; hinc ignorantia, ex qua orta est admiratio, illi non fuit vitio adsignanda, nec ipsa admiratio fuit mala.

§. 78. Serpens loquutus est, idque cum ratione, & hoc Heua audiuit, atque in animo sibi repræsentauit.

§. 79. Ex hoc natus est maior gradus admirationis & curiositatis §. 76. qui fieret, vt inter omnes bestias, solum hoc corpus brutum, esset animatum, anima rationali? nec in hoc animaduertitur aliquod malum.

§. 80. Heua serpenti se alloquenti respondit, aut certe sermonem cum illo miscuit, quod, generatim consideratum, fieri potuit sine vitio.

§. 81. Serpens, vt est *maxime* probabile, non statim sub initio colloquii, ad ipsam, quam agebat, causam prope accessit §. 32. sed varia locutus est, e. g. de creaturis, paradiso, & fortasse splendide de ipso creatore conf. 2. Cor. II, 14. donec, per varios anfractus, ad statum Heuæ & Adami deueniret, & de illo requireret.

§. 82. Heua adhuc *visu & auditu*, per quæ organa potissimum ideæ rerum deferuntur in animum, adfixa fuerat, ad serpentem, idque in exstantiori gradu admirationis & curiositatis §. 79. Iam igitur vehementer erat occupata in *repræsentationibus sensualibus*.

§. 83. Repræsentationes sensuales, non distinctionem genuinam idearum habent, sed confusionem; E. Heua erat occupata in repræsentationibus quodammodo confusis, quæ tamen nondum dominatæ videntur in animo.

§. 84. Est probabile, postquam serpens commemorasset, suam de omnibus arboribus comedendi potestatem, & inde oriundam, in suauis varietate delectationem, Heuam re-
sponsum

sponsum dedisse, *sibi non licere comedere de omnibus arboribus horti.*

§. 85. Hoc diabolus simulavit ita se accipere, *non licere hominibus de vlla arbore comedere*; & fortasse ex quodam posito signi vniversalitatis & particulæ negatiuæ ambiguo viso, speciose desumfit causam suspicionis. §. 31.

§. 86. Maxime intererat diaboli, hæc ita simulasse, vt scilicet Heuam ad sermonem de arbore interdicta instituentium alliceret.

§. 87. Nulla videbatur esse malitia, requirere de vero sensu legis diuinæ; nec inerat malum in ipsa Heuæ responsione, qua veram eius sententiam distincte exposuit.

§. 88. Heua, adhuc serpentem illum & eius statum considerauerat *in relatione ad statum bestiarum* §. 79. & quod abesse vix potuit, *in relatione ad statum suum proprium*, quia animaduertere debuit, inter se & serpentem, intercedere insignem rationis similitudinem.

§. 89. Hæc relatio status serpentis ad statum bestiarum, & quoque illa comparatio eius cum suo statu, facta est potissimum ex repræsentationibus sensualibus, adeoque confusis §. 82. 83. quæ, sine dubio, a veteratore spiritu omnibus modis conseruatæ & auctæ sunt.

§. 90. Hic fere cœpit Heua, quodammodo magis, quam par erat, indulgere repræsentationibus sensualibus, mox ad dominium in rationem progressuris. conf. §. 83.

§. 91. Si serpens adfirmavit, sibi licere promiscue vti omnibus arboribus, §. 84. quod Heuæ & Adamo non licebat, naturaliter orta est in Heua cogitatio: vtrum res ita se haberet? &, si ita se haberet, quæ causa rei subesset?

§. 92. Rem ita se habere, ostendit serpens, vt est verisimile, ipso promiscuo arborum vsu, & ipso fructu arboris, qua hominibus interdictum erat, comesto §. 36. n. 6. idque sine noxa.

§. 93. Refe-

§. 93. Referebat fatanæ, rem agi non procul ab arbore fatali, vt eo citius consilia nefaria exsequeretur.

§. 94. Heua iam admirata erat, cum insigni curiositate serpentem §. 79. eius statum non solum in relatione ad bestias, sed & ad se ipsam considerauerat, §. 88. idque ita, vt iam coeperit magis quodammodo, quam par erat, repræsentationibus sensualibus indulgere §. 90. nunc videbat, serpentem frui arbore hominibus prohibita, audiebat predicari ingentia de eius suauitate & salubritate §. 36. Inde nunc porro, inualescentibus magis repræsentationibus sensualibus, serpentem considerauit, in relatione ad arborem, mox in relatione ad se, mox se in relatione ad serpentem, mox se solam, mox vna cum serpente, in relatione ad arborem.

§. 95. Hæ diuersæ relationes, factæ in repræsentationibus sensualibus, quibus Heua plura simul, & citissime complectebatur, acciderunt magna celeritate, quæ, sine dubio, nonis obiectis sensualibus, a diabolo fuit prouecta.

§. 96. Repræsentationes sensuales inualescentes, diuersæ relationes diuersissimarum rerum ad se inuicem, in insigni celeritate habitæ, §. 94. & præc. non siuernat sibi constare animum, sed eum, quodammodo fecerunt perturbatum.

§. 97. Est insignis probabilitas, diabolum, vt persuaderet Heuæ, actionem contra legem de arbore, non solum cum nullo confectario malo, sed cum eximie bono, esse coniunctam §. 49. 59. argumentum desumpsisse a proprio suo exemplo §. 36. n. 1. seqq. & §. 92.

§. 98. Hoc fecit eo fine, vt concluderet Heua, quanta sibi cum deo esset expectanda conformitas, si serpentis exemplum, in percipiendo fructu arboris hominibus prohibita, sequeretur, cum illi licuisset ad tantam hominis similitudinem accedere ib. n. 6.

§. 99. Addidit figmentum, de arbore, ex quadam inuidia diuina, prohibita §. 58. 59.

§. 100. In

§. 100. In Heua iam erat per repræsentationes & relationes sensuales, in magna celeritate satis confusas, perturbatus animus §. 96. nunc accedebat maior, status & licentiæ serpentis, ad suum statum, & libertatem circumscriptam ratio, ex quo nascebatur præsentis status tædium, & melioris concupiscentia, cum diuinæ inuidiæ repræsentatione §. 63. 58. 59.

§. 101. In his inest ratio, cur repræsentationes sensuales & confusæ, primo quidem *veri* & *falsi*, deinde *boni* & *mali*, generint adfectus irrationales, & cur deinde per hos inualecentes, repræsentationes veri & falsi, boni & mali, semper magis redditæ sint confusiores, & peruersiores.

§. 102. In tanta igitur animi perturbatione, commissum est illud funestissimum *vitium subreptionis* §. 36. n. 8. quo conclusit, primo ratione *veri* & *falsi* a) *verum esse*, quod serpens per vsum arboris, qua hominibus interdictum erat, ad tantam humanæ naturæ similitudinem, emerisset; b) ex hoc porro, *falsum esse*, vsum huius arboris, & diuinæ legis violationem, consecretarium malum post se trahere; c) *sed verum esse*, quod eam sequatur consecretarium eximie bonum; deinde ratione *boni* & *mali*, a) *ergo non esse auersandam arborem*, & *non esse fugiendam* diuinæ legis violationem; b) *esse potius auersandam* legis diuinæ non-violationem c) & violationem cum insigni bono coniunctam, esse *adpetendam* & *committendam* §. 51 - 57: & 61.

§. 103. Ita igitur per malum genium Heua præparata, commisit ipsum actum externum, & ad idem facinus postremo pellexit & perduxit Adamum.

§. 104. Iam potissima membra, quæ de methodo probabili seductionis satanæ adhibita, distinctis propositionibus, allata sunt, in vnum colligemus corpus continuum & oratione perpetua repræsentabimus.

Erant igitur primi homines, Adamus & Heua, per diuinam creationem, ingenti sapientia & virtute instructi, & omnibus creaturis in terrarum orbe præfecti, ita vt eorum deesset
D
nihil,

nihil, quæ ad placidissimum summæ felicitatis fructum possent merito requiri. In toto terrarum ambitu, vna tantum arbore erat hominibus interdictum, quæ, vt ne facile error committeretur, posita erat in medio amœnissimi paradisi, ad exercendam forte & acuendam, perficiendamque castissimarum mentium prudentiam, vnde videtur haussisse *arboris scientia boni & mali* adpellationem. Protoplasti verò, in pia benignissimi creatoris veneratione, cum summa voluptate agebant vitam sanctissimam, nunquam cum quadam inorte commutandam, nisi post diuini interdicti, quo satis suæ a deo dependentiæ admonebantur, violationem. Vidit igitur creator cum summa delectatione:

Innocuos ambos, cultores numinis ambos.

Tam dudum fuerat in speculis fatanas, spirituum ante aliquod temporis spatium, ad tartara detrusorum, princeps infelicissimus, & acerrime obseruarat, quæ agerent in quietissima illa omnis boni abundantia, homines, quibus potissimum rebus se delectarent, qua circumspeditione, & quo pio sinceroque sanimi studio, cauerent sibi ab arbore fatali, vt ne quid admitterent indignum suo statu, & quod offendere posset, indulgentissimam diuini numinis voluntatem. Hoc autem nunc agebat primi sceleris artifex, incensus dei maximo odio, & humanæ felicitatis inmani inuidia, vt aucuparetur opportunissimum ad homines aditum, quo illos, ex tanto fastigio, in eandem teterrimam perniciæ deturbaret abyssum, in quam ipsum cum sociis coniecerat, iustissima numinis vindicta. Sed ad fallendam tantam sapientiam, conferendæ & coniungendæ erant, omnes vires rationis diabolicæ, ad quoduis nefariæ astutiæ genus comparata. Non erat autem alia via certior, quam qua recordabatur se ipsum periisse, scilicet per confusas boni & mali representationes, inde ortas adpetitiones illegitimas, & per adfectatam independentiam a deo creatore & domino summo.

Hoc

Hoc nunc erat comminiscendum, quibus artibus, mentibus diuinitus illustratis, iniici posset ea perturbatio, quæ sufficeret ad committendum id facinus, cuius consecrarium futurum erat, summa miseria, horrendo *mortis* vocabulo, a deo legis violatoribus diserte denunciata. Satis vero perspexerat, ad animos hominum, aditum patefaciendum esse per sensus externos; & ad repræsentationum confusionem, atque ad turbidos animorum concitadosque motus excitandos, illos sensus ita esse mouendos, agitandos, & celerrima varietate obiectorum vexandos, vt rationis puræ dominium sensim labefactatum, tandem concideret. Quæ omnia iam adgredebatur audacia astutiæ pari. Erat autem Heua, quod facile conici potest, in sanctissima illa & innocentissima vita, in diuinorum creatoris operum, & creaturarum, quæcunque occurrebant, consideratione, tanta mente dignissima, occupata. Inter hæc obiciebatur eius conspectui serpens, ita insigni forma ac specie, & ea mirifica, inter varia volumina, corporis agilitate, vt non solum aliis brutis diuersi generis, sed & reliquis, qui aderant, serpentibus, longe antecelleret. Erat autem & iucundum spectaculum, & mirabile visu, hunc serpentem, inter reliqua bruta, ita agere, vt adpareret tantæ vasti & versutissimi ingenii indoles, quanta in nullis animalibus, quibus ratio negata est, poterat obseruari. Heua igitur has serpentis actiones suspicere, admirabunda contemplari, in serpente oculos & animum defixos habere; cum ecce! serpens mittit vocem humanam, nec vocem solum, sed integram profert orationem, & Heuam suauiter alloquitur: prædicans opera dei, paradysum, arbores, flumina aurifera, & in gemmarum quasi quodam aluolo labantia, maxime ipsam hominum sortem; celebrans denique propriam fortunam, & dulcissimam vbiunque vagandi, & omnibus hortu delictis fruendi libertatem. Tum Heua magis in admirationem rapta, ob tantam serpentis, humanæ naturæ proximitatem præstantiam, nobis autem, inquit, non licet comedere

R 2

ders

dere fructum omnium arborum, quibus confitus est paradisus. Dudum autē expectarat larvatus serpens, occasionem, qua Heuam posset ad cogitationem & colloquium de arbore interdicta, allicere. Hinc inseruendum ratus oportunitati, ficto quodam alio, quam vere erat, sermonis sœminæ sensu, quid? inquit, omnibusne arboribus horti interdictum vobis est a deo? Heua igitur distinctius responsum exponebat, quod nempe omnes arbores concessæ sibi essent, præter vnâ illam, in medio paradisi positam, cuius vsus esset prohibitus, adiuncta grauisissima mortis denunciatione. Agebantur hæc, ex voto insidiatoris, non procul a ligno fatali, ad quod interea aduolutus serpens, alacri saltu euaserat in arborem, & passus erat fructu, sine vlla aduersæ mutationis nota. In hæc dum intuetur Heua, admirabunda tantam in serpente licentiam, hic porro: ego vero miror tantam vestram de morte suspicionem, cum me videas sine noxa pascentem, viuum & hospitem, quid quod perceptis his delictis factum alacriorem; & quid? si adfirmare hoc potuero, me brutum, ceteris animantibus, quæ vides immensum quoddam infra humanam dignitatem posita & abiecta, haud quondam dissimilem, sola huius arboris occulta & diuina quoddam virtute, nescio quo benignissimo meo fato, ad tantam euectum esse præstantiam, quæ in me nihil fuit reliquum, quod esset humanæ naturæ dissimile, præter id, quod vides, serpentinum corpus. Heua autem obstupescens hic, tum facta, tum oratione, nunc conuertebat oculos ad serpentem, nunc ad arborem, mox iterum ad serpentem alacriter epulantem, mox ad fructus, mox ad alia, quæ forte aderant animantia; oculorum autem adpectus, subinde auditu sermonis a serpente vterius producti, turbabatur; iterum deinde, præualecente visu, per vices minuebatur auditus. Hinc animus iam versabatur & fluctuabatur, in repræsentationum per sensus citissime oblatarum, tam confusa & tumultuaria multitudinem, vt ratio pura sensim languesceret magis &

& deficeret. Quod cum animaduerneret sagacissimus corruptor, nihil differendum existimans, vt non solum metum omnem mortis expelleret ex animo, sed etiam spem ingentem, & cupiditates felicioris status incitatiores turmatim iniiceret, subiicit denique, ne videretur diutius suspensum tenere mulieris animum: si verum audire vellet, nouisse deum, homines, virtute huius arboris, ad tantam posse emergere naturæ excellentiam, quæ proxime ad diuinam accederet, ita vt non necesse sit, bonum & malum amplius ex norma diuinæ legis æstimare, sed possint agere ex solo perfectissimæ naturæ desiderio, & dictamine. Proinde subesse diuino interdicto sortis felicioris inuidiam. Quam ob rem, vtrum, obseruata diuina lege, in hoc statu, ad quem vel serpens potuisset peruenire, & sub inuidi numinis imperio, perpetuo viuendum sit? an naturali & immutabili, de perfectione vltiore quærenda, obligationi obsequendum, atque, per generosum quemdam infesti interditi contentum, ad dei liberrimi similitudinem, ex his indignissimis circumscriptionibus adspirandum? consulerent. Quid igitur? confusæ repræsentationes veri & falsi iam occupant & obsederant animum, quæ, eadem perturbatione, ad statum proprium relatæ, abiuerunt in confusas boni & mali comprehensiones, quibus excitatæ sunt auersationes & adpetitiones irrationales, vbique omnibus modis sollicitante & stimulante satana. Sic igitur labefactata primum, deinde protinus exturbata numinis ingenua veneratione, & suppresso metu, spes felicissimi status audior, animum exasperatum, præcipientem ad funestissimum nefas impulit.

*Longa mora est, quantum noxæ sit
vbique repertum,*

Enumerare.

D 3

CO.

COROLLARIA.

A *DIVNCTA* sunt entia incompleta.

Ideæ vniuersales sunt reales.

Potest esse propositio in se verissima, hermeneutice falsissima.

Conuenit diuinæ sapientiæ, impedire non solum multas actiones *malas*, sed etiam *bonas*, vt scilicet in harum locum substituantur *meliores*.

In doctrina morali, argumentum de diuersis *gradibus boni & mali*, insignis est momenti.

Idem censendum, de *bono & malo respectivo*.

Studia physica quam maxime pertinent, ad illustrationem sapientiæ potentissimi & benignissimi creatoris.

Qui

Qui refert, quid ipse, vel alius *optice* expertus sit, is non adfirmat, quid *physice* verum sit.

Propositiones sacræ, in dato loco, non ea omnia significant, quæ possunt significare in se considerata, sed quæ possunt ex nexu, cum ideis & propositionibus adiunctis.

A sensu proprio non est sine urgente necessitate recedendum.

Historiæ pragmaticæ conscriptæ, vsui vitæ egregie inferuiunt.

In historia pragmaticæ consignata, iudicia auctoris caute distinguenda sunt, ab ipso, quod refertur factum.

Datur minus nihilo.

Definitiones geneticæ in mathesi sunt perquam vtilis.

Egre-


Egredie eloquentia a CICERONE de-
scribitur : *copiose loquens sapientia.*


Qui dicit tantum, vt delectet, ille pot-
est cum summa delectatione nocere; qui
dicit vt profit, ille potest etiam cum offen-
sione prodesse.


Nonnumquam prudentiæ est, simula-
re imprudentem.


In republica literaria, nulli agnoscendi
sunt dictatores; sed suspiciendi & vene-
randi multi censores.











the scale towards document

m, quam tanquam summus Mundi Pro-
phetas Messias sanctissima fuit ac verè divina,
et verè etiam, veris quidem illis ac revera di-
vina, & sanctissimo vitæ ac mortis exemplo
non alia tamen fuit à doctrina illa salutari.
In populo suo indè à primis Patriarcha-
bus usque ad Messiaë adventum revelavit.

§. XXII.

Am, quo hoc suo officio Prophetico functus
ædificanda Ecclesia, verè divinus fuit &
omnis absolutus; Fecit enim id a. Externè per
sermonem, & quidem partim immediatè per
sermonem ministerii sui curriculo, quod in terris obi-
ditur per ministros suos, quos sub utroque
habuit *extraordinarios & ordinarios*. ß. In-
terdum & auditores omnes per Spiritum Sanctum
omnem veritatem Joh. 16. 13. majorem-
modo Spiritus mensuram pro diversa Eccle-
sionomia, ita ut jam omnes sint *διδασκαλοι*
45. juxta vaticinium Esajæ, 54. 13. γ. *Prin-*
cipaliter familiaribus parabolis, ut videre est
in *ἐπισημειωσεν* & citra *προσωποληψίαν* Matth. 22. 16.
ut nemo potuerit ejus sapientiæ resiste-
re Matth. 23. 27. & Matth. 22. v. 19. 22. 26. 32. 33. 34.
dicebat enim, *ut habens auctoritatem, non au-*
ditur Matth. 7: 29 ζ. *Eloquenter admodum &*
etiam: ita ut *nunquam ita locutus sit homo ut*
46.

§. XXIII.

Am, quæret maxima illa Messiaë Prophetæ supra
omnes prophetas excellentia, etiam supra ipsum
Christum, hæc *Prophetarum maximum* faciunt Judæi.

C 3

varia-